

4.

DE
ANGINA POLYPOSA.

*DISSE*RATI^O.

Cujus Partem Quartam;

APPROBANTE EXP. FAC. MED. ABOENS.

PUBLICÆ CENSURÆ MODESTE SUBJICIUNT

NICOLAUS ABRAHAMUS URSIN,

*Phil. & Med. Doctor, Adjunct. Ord. & Anatomiae Pro-
sector, nec non Cancellista Imper. Coll. Med. Fennic.*

ET


EVALDUS ERLANDUS ROSENBACK,

*Satacundensis,
Stip. Publ.*

In Audit. Jurid. die XII Decembr. MDCCCXXI.

h. a. m. s.

A BOÆ, Excudebant J. C. FRENCKELL & FIL.



Catarrho provenientibus observamus contagium, tale nostro quoque concedit malo 85). Quapropter celeberrimus ille observator monet, ut, quamprimum domum intraverit Angina Polyposa, infantes morbo nondum correpti ab eis quos jam invaserit, separentur. Et est idem nostrum quoque consilium, iisdemque ex rationibus. At pro vere contagio lo malum nostrum eo minus habere possumus, quo tota morbi indoles, utpote & exanthemata & effluvio immunis, idea contagii minus favet. Quod si iisdem nocentibus viribus & momentis obnoxii sunt plures infantes, non est omnino mirum, iisdem morbosis affectionibus plures affligi, etiam si nihil contagiosi detegi possit. Nam ubi eadem causae, ibi effectus fere idem.

Dura quæ est hæc labes, neque una tantum vice tortuet. Certis observationibus, nostra potissimum in urbe factis, constat, morbum pluries posse invadere; idque eo facilius, quo saepius jam adfuerit. Celeberrimi medici nostri A. BOXSTRÖM & J. A. TÖRNGREN morbum in uno eodemque infante plus quam semel viderunt. Et filium nostrum carissimum quinques jam morbus vexavit 86). Morbos vero inter vere recidivos Anginam numerare Polyposam, nulla adest ratio. Etenim fracta morbi vi reddit sanitas, nulla remanente corporis diathesi, quæ e priore morbo ptoyeniens, eundem denuo resuscitet.

G

Quod

85) cfr. MARCUS, I. c. pag. 63. Hæc ejus sunt verba: Man kann demnach kein anderes Contagium bey dem Croup zulassen, als welches man auch bey andern catarrhalischen Zuständen öfters beobachtet hat; der Schnupfen und Catarrh flecken nähmlich an, wenn man in der Anlage ist, an der catarrhalischen Diathesis leidet, und lange in der geschlossenen Atmosphäre solcher Personen verweilt.

86) Postquam in lucem edita hujusce opellæ tertia pars jam erat, filium nostrum morbus iterum invasit, & quidem quinque tuac temporis annos natum,

Quod ad morbi causas attinet, de causa ejus proxima, vel de causativo illo momento, quod internum inter corporis pathologica metamorphosi provocatum statum & morbi symptomata intercedit, haud liquet. Genium Anginæ Polyposæ inflammatio, minima occupans ea vasa, quæ membranæ partium propriæ inserviunt, sanguifera, constituit illa quidem; at quod hanc efficit inflammationem, nobis ex omni parte est ignotum, ut ignota quoque est causa proxima inflammationis in genere. Nam quod de sanguinis stagnatione, spissitudine, acrimonia, putredine, cætera, quod de vasorum irritazione, spasmo, oscillatione, debilitate & sic porro venditant, aut pendet id a falsa rerum consideratione, aut nihil est aliud, quam conjectura, nondum probata, quæ, ad inflammationem variasque ejus formas declarandas, nullo modo sufficit. Neque magis est perspicuum, cur non omnis inflammatio Laryngem invadens & Asperam Arteriam Anginam provocet Polyposam, aut cur unaquæque Laryngitis aut Bronchitis non itidem Polyposam efficiat Anginam. Ut enim non omnis oculorum inflammatio Chemosis facit, aut Uretra quævis inflammata Gonorrhœam, sic neque e Laryngide aut Bronchide semper Angina Polyposa. Pendet, ajunt, hoc solummodo a diverso inflammationis gradu. Credo; at id ipsum neciunt, quomodo nunc hic nunc ille inflammationis gradus existat. Id saltem observationibus perspicuum est & clarum, Anginam Polyposam existere haud posse, nisi propria & peculiaris ejusmodi sanguinis diathesis, quæ lymphæ exsudandæ & coagulandæ faveat, adeat, & ea existit solida inter & fluida polaritas, qua sanguis Fistulam versus Spiritalem majori copia determinetur, adeoque ejusmodi inflammationis gradus, quo evolvere se possit Angina Polyposa. At ignoramus omnino, quomodo partes sanguinis

gvinis constituentes & invicem, & respectu ad constituentes solidorum partes habito mutentur, vel quas mutaciones ipsæ valorum tunicae subeant, vel quomodo nervi a naturali indole & agendi modo aberrent, quo hæc existat pathologica metamorphosis; ignoramus plane, quid ejusmodi a naturali statu aberrationi ansam præbeat. Posterior ætas, potissimum cum Chemia Animalis ad perfectionis culmen proprius accederit, rem melius forsan perspiciet.

Causam prædisponentem infantia constituit, redditque corpus ad hunc ciendum morbum maxime idoneum. Tenera enim ætate ea Vis Vitalis manifestatio, qua animalis materies, corpusque animale, variæ ejus partes & membra varia formantur & increscent suamque obtinent dignitatem, vel quam *Plastica* vocant *Vim* aut *Nisum Formaticum*, maxime vivit & viget. Plasticæ vero animalis Corporis vigente, jam ea adeat sanguinis diathesis, ut fluida in solida quam facillime abeant, lympha igitur facillime coaguletur. Major præterea est tenera infantum ætate humorum versus caput superioresque corporis partes affluxus; quod exanthemata in capite atque facie infantum nimis frequentia aperte monstrant. Quæ ambæ res nobis potius videntur esse in causa, cur infantes præ cæteris Angina corripiantur Polyposa, quam ea, quæ a Celeberrimo MICHAËLIS 87) assumitur, negligere nempe infantes materiem in Fistulam Aëream effusam ore ejicare, morbum ideoque apud eos frequentiorem occurtere, quam in adultioribus, qui, rejiciendo, priusquam in coagulum abiit, materiem exsudatam, morbum primis jam in incunabulis quasi suffocare intelligent.

G 2

Ad

87) cfr. MICHAËLIS, I, c. pag. 176.

Ad provocandum morbum, epidemice præfertim gras-saturum, nimis conductit constitutio illa catarrhalis, quæ turbido, frigido & nebuloso cœlo ortum suum debens, gravedines destillationesque concitat. Quapropter etiam vernali tempore & autumno, quibus anni temporibus hæc aëris constitutio vulgaris est, morbus noster quam integerime typum suum exprimit. De cætero causæ hujus morbi occasione non magis, quam plurimorum epidemicorum morborum, clare innotescunt. Observatum quidem est, frigidam cœli temperaturam, Eurosque acerbos, morbi eruptionem præiisse. Major in hac cœli constitutione Oxygenii copia haud minimi forsitan est momenti, ad lympham in Angina Polyposa coagulandam. Sed non est dubium, quin concursus plurium, quæ nobis adhuc incognita sunt, momentorum sit necesarius, quo ejusmodi concretiones possint existere. Miasma sui generis morbi esse occasionalem causam, ut vult Cel. HARLES, 88) vix credibile est. Scire autem licet, auras fluminum & stagnorum huic morbo quam maxime favere. Experientia saltem testatur, morbum frequenter admodum in paludosis occurrere locis, eadem vero fugere, quamprimum siccatae sunt paludes. Sic Cel. CRAWFORD, ubi in Scotiæ stagnosis regionibus morbus tere endemius primum fuerat, ibi raro admodum hunc vidit, postquam exsiccata sint loca 89). Apud nos sat frequens est morbus. At sita est nostra Urbs duo inter montium juga in solo tam paludoso, ut plerisque in locis hypogea vix aut ne vix quidem exstrui possint. Estque pars humi, paludis instar, limosa tam, ut non nisi a ranis possit habitari 90). Amnis insuper minus pleno fluens alveo urbem pererrat,

88) Vid. HARLES, I. c: pag. 613.

89) Videsis SACHSE, I. c. I. Th. pag. 183.

90) Tota illa urbis pars, huic loco adjacens, — versus austri-

errat, aurasque spargit minime fructuosas. Et adeſt quoque incile, quo cœnum male olens nigricansque limus lento provehuntur gradu. Non ideoque mirum, quod inter nos morbus ſæpiſſime obſervatur. Nam præterquam quod humida loca tempeſtatesque pluvioſæ normalem cu-tis functionem turbant, excitantque, qui eſt nervos inter intimus nexus, vicariam organorum, quibus respiratio per-agitur, actionem 91), Hydrogenium in animali organiſmo prævalens reddunt, unde major humorum vis expanſiva, propensiōque major ad novas ineundas conju-nctio-nes. Cum acres, gelidi venti, ut apud nos ſunt Eurus & Boreas, accedunt, Alpera Arteria hiſ irritata majorem hu-morum copiam attrahit, & facile evolvitur morbus. Ad frequentiorem reddendum morbum permultum conducit pervulgaris ille, at perversus & fatalis mos, infantum cor-pora ad frigus melius preferendum eo durandi modo, ut cervices pectusque omni anni tempore nuda gerantur, injuriisque tempeſtatum omnibus exponantur. Nobiscum de ea re conſentient Celeberrimi LENTIN, HECKER, JONAS. Etenim illud quoque noſſe oportet, aërem, cum unicam ſolummodo corporis partem, vel præ cæteris quandam partem adſpirat, ut fit plerumque cum per rimam aura ſpirat, ſemper nocere, ſpasmusque provocare vel inflam-mationes vel ſaltem humorum in affectam partem con-gestiones. Frigus ergo ſæpiſſime morbo anſam præbet, potiſſimum cum ex apertis vel male clauſis fenestrīſ nu-dula infantum colla libere circumvolitat.

Pro-

orientem vergit — ea de cauſa antiquitus jam nuncupata eſt *Må-tåjärvi*, quod Finniſ idem eſt, atque putredine corruptum flag-num.

91) Si cuidam præter conſuetudinem pedes madidi ſunt, fonuſ rau-cus, sternutatio, tufſis mox adeſt; id quod ostendit, humores poſt frigus respirationis veſlus organa determinari,

Prognosis hujus morbi quam maxime ambigua est. Quapropter, ut in præfagiis semper, sic præcipue in prædicandis Anginæ Polyposæ eventibus medico oportet, cautum esse & circumspicere. Id tamen fere perpetuum, quo minus ætate proiecti teneri ægrotantes, eo facilis eos tolli. Nam quam medelam aduliores patienter accipiunt, eam teneri infantes obstinate respouunt, quas concretiones illi tussis ope removent, eas non intelligunt hi extussire; & spasmo præterea facilis hi quam illi corripiuntur, id quod majus in his reddit periculum. Versantur quoque in periculo, quibus febris major, quibus molestior est respiratio. Et est experientia testatum, eo melius respondere, quo citius medela intervenit. Ubi in ipsis morbi principiis medicus adest, restituuntur fere ægrotantes; si vero non nisi post horam a morbi eruzione tricesimam sextam venit, mors plerumque subsidet. Neque tamen deflunt exempla, ægrotantes iuxtam jam diem morbo laborantes, salvos exiisse 92). Bona signa sunt, si, spiritus cum trahitur, sonus indicat, exsudatam materiem jam molliri, aut si deglutiunt ægrotantes, quotiescumque tussiunt. Et sunt hæc signa tam certa & tutta, ut equidem, ubicumque hæc observaverim, nunquam non fractam jam morbi vim viderim. Mala vero signa sunt, anxietas magna & inquietus, pulsus celer, rubicunda facies, atque ut vult cel. MÆRKER tumor sub mento.

Durat morbus vix supra septimum integrum diem cum nocte. Judicatur vero interdum primo jam die; tussis autem cum sputo & raucedo manent, & quidem per brevius per longius temporis intervallum. Si bene respondet, frustula e polypo concremento, tussis ope, ple.

92) Observavit id Cel. MÆRKER; efr. SACHSE, l. c. I Th. p. 253.

plerumque cum vomitu, evelluntur; unde tantum levamen, ut respiret æger sine magna molestia, reficiaturque mirandum in modum cito. Interdum quoque accidit, ut membrana in Trachea formata ibi adhaerat, concrecatque cum interna Asperæ Arteriæ tunica; unde, quamdiu vita manet, manet quoque respiratio molestior, mutataque loquela. Pleuritis non raro, Phthisis, & Hydrocephalus internus 93) Anginam secuti sunt Polyposam. Ubi vero morbi exitus lethalis est, aut suffocatio ægrotantem tollit, — & exsudati quidem humores tanta infestant quantitate vel concretionis membranaceæ ea est magnitudo, ut Larynx vel Aspera Arteria, vel minores ejus ramifications, vel demum omnes insimul aërei canales omnino repleantur, nullamque admittant respirationem, — aut spasmus strangulat. Sectiones cadaverum ostenderunt, raro admodum vias aëreas exsudatis humoribus, aut fluidis aut coagulatis, fuisse prorsus repletas. Quare non est absolum, spasmus accessisse, quodque exsudatio non occupaverit, id penitus coarctasse. Neque est insolitus ejusmodi spasmus in aliis quoque inflammationibus, irritabiles præsertim partes occupantibus, potissimum cum canalis formam infestata organa præ se ferunt, ut Uretra, Tubus Intestinalis & sic porro. Exsudati vero humores, concretionesque membranaceæ stimulum constituant efficacem, qui in Fistula Aërea, utpote morbofa, sensibili magis jam & irritabili, spasticas contractiones facile provocat. Occupat hic spasmus non Rimam solummodo Glottidis, ut MICHAËLIS 94) aliique nonnulli contenderunt, verum etiam ultimos non raro Asperæ Arteriæ

93) JURINE Hydrocephalum Internum Anginam sequi vidit Polyposam; cfr. Svenska Läkare-Sällskapets Handlingar I B, 2 St, p. 151,

94) cfr. MICHAËLIS, l. c. pag. 229.

riæ ramulos. Neque mirum. Fibrosa quæ est ultimum
rum ramulorum structura, & nervorum ibi frequentia,
95) non possunt, quin facile & expedite semet contra-
hant ramusculi, quamprimum stimuli vitalem ejusmodi
actionem jubeant. Videntur ad id peragendum negotium
a natura quasi expediti, potissimum cum cartilagine,
quippe non adsunt, 96) vitalem partium contractionem,
canalis ideoque coactationem, neque impedian. Spas-
mus itaque circa Bronchiorum fines non ita raro obve-
nit. Quapropter Cel. HECKER 97) *Anginam Polyposam Spas-
modicam* agnoscit. Mortem demum adterr Pulmonum &
eorum, qui respirationi inserviunt, muscularum paralysis,
provocata nisu illo & nimio conatu, quo miteri ægrotan-
tes spiritum ægre ducunt 98). Præterea non potest non
disturbatio illa in cerebro, ut bene docet HECKER, 99) &
forsan quoque in nervis, quæ spiritum impeditum sequi-
tur, mortis fieri causa.

Sed veniendum jam est ad morbi curationes.

In nullo fere morbo ars sibi magis vindicat, minus-
que natura propriis solis viribus innixa ad debellandum
im-

95) Videsis supra, pag. 20 & 27.

96) Vid. supra, pag. 22.

97) cfr. HECKER, I. c. pag. 15.

98) cfr. Salzburger Medicinische Chirurgische Zeitung, 1793, 4 B.
pag. 245, & Samlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche
praktischer Aertze, 16 B. pag. 121.

99) Steigt, celebris ait ille vir, die krampfhaften oder mechanischen
Verengung der Luftwege bis auf einen gewissen Grad, so kan sie
unlauffbar eine solche Zerrüttung in dem Gehirne nach sich ziehen,
dass sie eine Hauptantheil an dem Tode hat. HECKER, I. c. p. 63.

immanem hostem valet, quam in Angina Polyposa. Nam nisi intervenit medela & cito & efficax, fere extinguitur æger. Curationes vero inter primarium locum sanguinis tenent detractiones. Etenim cum in inflammationibus generatim utiles sunt, tum in Angina Polyposa maxime prosunt. Minuant nempe non modo plethoram, plasticen ideoque humorum retardant, sed pituitam quoque aut cito movent, & symptomata ruinam minantia ita tollunt, aut levamen saltem, si non auxilium, ægrotanti parant. Id autem observare licet, protinus inter initia sanguinem esse detrahendum. Quo enim citius sanguis extrahitur, eo facilius morbi frangitur vis. Ostendit quidem usus, sanguinis missiones post quadragesimam octavam horam institutas aliquando opem tulisse, at videntur tamen huic rei aptissimæ adversæ valetudinis primæ horulæ. Et est hæc medela fere ejusmodi, ut, ubi omittitur, mors plerumque adstare soleat, vel, si reddit sanitas, lento admodum gradu redeat.

Ante omnia igitur, ubi ad ægrotum Angina labrantem Polyposa vocatus est medicus, sanguis mittendus est, nec quidem parca admodum manu. Si epidemica constitutio, si ægrotantis habitus, si morbi postulat indoles, si itaque aliæ inflammations vulgus inter grasiantur, si robustus est æger & vegetus, rubetque facies, & plenæ venæ tument, si symptomata morbum indicant acutum valde, scalpellus venæ brachii admovendus & generalis sanguinis missio instituenda est. Sin minus, optimam opem Hirudines ferunt Vivæ. Ut enim Hirudinum præcipiuus usus, ubi non in toto corpore sed in parte aliqua vitium est, ita in Angina Polyposa alia remedia omnia facile superat. Non temel equidem morbum sustuli, sanitatemque, Hirudinibus solis adhibitis, & cito & tuto reddidi;

aliis remediis omisfis omnibus. Admovendæ vero sanguisugæ sunt affecto loco tam prope, quam fieri potest. Itaque applicandæ in anteriorem colli partem, quæ Laryngi ipsi aut Glandulæ Thyreoideæ respondet.

Neque sufficit, sanguinem fluxisse tantum nosse. Vindendum potius est, ut morbi vis sanguinis detractione remittat. Ideoque, ut ægrotantis fert ætas, duæ aut plures ad sex adhîendæ Hirudines sunt. Monent quidem non nulli, eosque inter Cel. MICHAËLIS, 100) ut, si quid auxiliï ex eis exspectandum, numero ad duodecim usque, Hirudines adhibeantur. Sed ut id omne, quod nimium est, semper nocet, sic est timendum, ubi pluribus quam opus est sanguisugis medicus utitur, ne emoriatur vis, ægerque præcipitetur. Evidem vidi animam in ægrotante, duos jam annos natu, ex duabus Hirudinibus fere deficere. Neque vero ad ægrotantis ætatem nimis anxie est attendendum, sed videndum, ubi morbi vis & indoles majorem, ubi minorem sanguinis jacturam requirat. Itaque interdum fit necesse potissimum cum facies labia que iterum tument & rubent, strangulationisque periculum adeat, Hirudines iterum applicare missionemque sanguinis localem iterare. Magnum inde duxerunt emolumenitum MICHAËLIS, THILENIUS, CHEYNE, SACHSE, 101) cæteri; nos semel.

Prodest fere sanguinem e vulneribus, quæ Hirudines fecerunt, quam diutissime fluere. Vulneribus itaque superim-

100) Hoc tamen, ille ait, monendum, quod si aliquid ab egregii istius auxiliï virtute exspectare velis, octo, decem vel duodecim simul collo admovendas, nec prius removendas esse, donec tandem sponte decidant. Vid. MICHAËLIS, l. c. pag. 200.

101) cfr. SACHSE, l. c. 2 B. pag. 48 fqq.

perimponenda sunt linamenta, igne probe fota, mutandaque, quamprimum crux ea penetraverit, cum aliis & quidem siccis linamentis, detergendaque bene unaquaque vice vulnera, quo sanguis melius profluat. Præcipiunt quidem plerique, ut vulnera fungo marino ex aqua calida expresso frequenter foveantur; at nobis id minus arridet, quia eo modo vix aut ne vix quidem evitari potest, ne collum partesque huic adjacentes humore & frigore infestentur; id quod tantum abest, ut ad morbum infringendum conducat, ut morbum potius excitet. Profluat autem sanguis tamdiu, quamdiu morbi vehementia id postulet, ægrotantisque vires patientur. Cum vero palleant facies & labia 102) & animo linqui æger incipit, protinus sanguis suppressus est. Etenim neque desunt exempla, quæ ostendunt, animam cum sanguine effundi posse 103). Prudens ergo medicus, ægrotanti bene consulens non omnino debet ab eo discedere, priusquam sanguis fluere jam desit.

Sistere autem sanguinem ut expeditissimum est, usum habenti, tamen ignaro difficillimum est. Svalent, ut Sulphate Aluminæ subpotasico, aliisque stipticis medicamentis vulnera foveantur, fomesque imponatur. Sed cum collum infantes frequenter movent, cum tussiunt & vagiunt, minime respondere solet. Cel. LENTIN ut remedium numquam fallax commendat pulverem duabus ex partibus *Gummi Kino* unaque parte *Gummi-Arabici* compositum, quo linteum carptum anglicanum ex Aceto expressum & bene compressum conspergatur, & vulneribus

102) Pallida labia haud incerto notant, sanguinis in vasa minima impetum esse imminutum, imminutam ideoque morbi vim.

103) cfr. WIEUSSEUX, 1. c. p. 177.

bus superimponatur. Imponenda insuper sunt alia linteal
carpta & Emplastro Adhæsivo continenda. Utrum re-
pondeat, nec ne, experientia nos non docuit. ANTON
WHETE 104) proponit, ut acus altero vulneris labio im-
mittatur, appareatque per alterum, totum eo modo vul-
nus permeet; ut filo cerato ambæ acus extremitates insi-
mul subligentur, quo vulneris labia invicem arcte com-
primantur; ut globulis cereis acus extremitates obducan-
tur, ne pungendo lœdant. Cum proximo sole acus ut
retrahatur, hortatur, perhibetque nullo non tempore san-
gvinem ita stitise. Non dubito. At ut est ejusmodi me-
thodus cruenta nimis & acerba, ita neque necessaria fere
est. Evidem semper, ubi necesse erat, sanguinem siste-
re facile potui, eo solum modo, ut labia vulneris digito
indice & pollice prehenderim, leniterque ad se invicem
compresesterim, donec in vulnere sanguis in coagulum
abierit. Concedo quidem, non omnino sine incommo-
do medici & molestia methodum esse, quippe interdum
dimidiā horam, & quod excurrit, durat, priusquam re-
spondet. At, qui ægrotantibus bene consulere optat me-
dicus, neque molestias neque curat labores.

Quod si non ad manus sunt, aut non possunt Hiru-
dines cito adesse, ne aureum elabatur tempus, spesque
salutis cum eo effugiat, præcipiunt GHISI, WAHLBOM,
CRAWFORD, cæteri, ut cutis in colli anteriori parte scal-
pello bene concidatur, quo sanguis sponte profluat. Ne-
que est spernendum. Magis tamen juvat collo admovere
cucurbitulas, quippe per eas elicetur melius & detra-
hitur sanguis.

Sed

104) Videbis GRÆFE u. von WALTHER, Journal für die Chirurgie
und Augenheilkunde. Erst. B, pag. 185 sqq.